



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. II. De Officio Semiduplici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

busdam, nempe Feriis Adventûs & Majoris Hebdomadæ convenit.

VII. Quomodo sit ordinandum Officium Duplex in Vesperis, Matutino, & ceteris Horis; similiter & de Antiphonis, Responsorijis, Versibus, Capitulis, & aliis in eo dicendis, habentur inferius singulis propriæ Rubricæ.

TITULUS II.

DE OFFICIO SEMIDUPLICI.

I. **O**fficium fit Semiduplex diebus Dominicis (exceptâ Dominicâ in Albis, *b.* in qua Duplex *c.*) & diebus infra Octavam *d.* Item in Festis, quibus in Calendario hæc vox *Semiduplex* apponitur. *e.* in Festis propriis quorundam locorum. *f.* quæ solemnius apud illas, quàm Simplicia, consueverunt celebrari.

B. Non, quòd dies Octava sit Paschatis, cum ritum diebus Octavæ Paschatis penitus diversum habeat; sed quòd forsè illo die solemnis Baptismus celebrabatur.

C. Quibus adde etiam Dominicam Paschatis, Pentecostes, & Trinitatis, quamvis hæc Festa potiùs, quàm Dominicæ dicenda sint.

D. Vocantur Dies infra Octavam sex illi dies, qui infra Festum & ipsam diem Octavam intercedunt.

E. Nisi propter formalitatem Patroni aut Titularis, propter insignem Reliquiam inter Duplicia numerentur.

F. Qualia v. g. sunt Translatio Patroni minùs principalis: Festum Sancti, cujus Reliquia non insignis habetur, & S. Congregatione ejusmodi Festum concedatur.

II. In Festo Semiduplici fit eo die, quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicitur in Rubrica Translatione Festorum.

III. Habet totum Officium integrum. *g.* fit Duplex; sed non duplicantur Antiphonæ.

G. Hoc est, primas & secundas Vesperas cum reliquis Horis integras, nisi per occursum vel concursum cum Duplicibus easdem amittat.

IV. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Paschæ & Pentecostes Octavas, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis, & totidem Lectionibus. Et regulariter, quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi, & totidem Lectiones. *h.* exceptis ijs Dominicis, in quibus fit Officium, ut in Psalterio; *i.* quæ habent octodecim Psalmos.

H. Unde & hæc Festa vocari solent Festa novem Lectionū.

I. Quales sunt omnes Dominicæ præter eas, quæ infra Octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi cadunt; hæ enim perinde ut ipsa Festa, novem duntaxat Psalmos habent.

V. Quomodo sit ordinandum Officium Semiduplex tam in Festis, quàm in Dominicis, & infra Octavas; item & de Antiphonis, Versibus, Responsorijs & hujusmodi alijs; & quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam, & Completorium, & Suffragia de Sanctis ad Vesperas & Laudes, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

TITULUS III.

DE OFFICIO SIMPLICI.

I. **O**fficium fit Simplex in diebus Ferialibus, quando occurrit fieri de Feria. *k.* item in Festis, quibus in Calendario non apponitur vox *Duplex* vel *Semiduplex*, vel de Octava: Item quando fit de B. MARIA in Sabbato. *l.* ut in ejus Rubricis dicitur.

K. Id est, tali die, in quem nullius Sancti Festum aut Vigilia, nec B. MARIA in Sabbato cadit.

G 2

L. Adde